

valedictiones, si ex corde proficiscantur, suo fructu non destitui, sed loco precum esse atq; benedictionis.

*Pax* autem significat *omnis generis felicitatem & prosperitatem, tranquillitatem, concordiam, sanitatem, atq; salutem*, quod potissimum ex lingua principe in alias transfusum est atq; traductum, unde nec Salvatore aliâ, præterquam hæc, discipulos suos formulâ compellare lubuit. *Duplex* porrò est *Pax*, *Spiritualis, interna, cœlestis & æterna, & iterum Corporalis, externa, mundana & temporaria*. Elegantia sunt in hunc usum *Hipponensis Episcopi* verba à *B. Johanne Gerhardo* (*cap. CLXXVI. Harmon. Evangel.*) allegata: *Pax omnium rerum est tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumq; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio. Pax corporis est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis ordinata cognitionis actionisq; consensus. Pax corporis & animæ ordinata vita & salutis animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis ordinata in fide, sub æternâ lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax domus ordinata imperandi atq; obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis ordinata imperandi atq; obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & invicem in Deo. Fac justitiam, & habebis pacem, nisi enim amaveris justitiam, pacem non habebis: amant se duo ista justitia & pax, osculantur se, ut, qui fecerit justitiam, inveniat pacem, Hæc Augustinus. Est adeò *Pax* illa vera Panacæa, non *Asclepij* seu *Æsculapij* illius filia, Dea, quod & *Plinius* (*lib. XXV, c. 4.*) credidit & *Hesychius* tradidit, quâ omnium morborum remedia promittuntur & curatio, sed filia Dei omnipotentis atq; æterni, qui non tantum verè languores nostros ipse tulit, nostrosq; dolores satis onerosos bajulavit (*Jes. LIII, 4.*) sed hodie quoq; omnes nostras infirmitates sanat, ut renovemur in morem adolescentiæ aquiline (*Psal. CIII, 3:5.*) sanat omnes contritos corde & alligat dolores eorum h. e. obligat, medetur, medelam facit, uti radix שׂוֹמֵן usurpatur*

patur